



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**In Evangelia: Qvæ Vsitato More in diebus Dominicis &  
Festis proponuntur, Annotationes Philippi Melanth.**

**Melanchthon, Philipp**

**Vuitebergæ, 1544**

**VD16 E 4532**

Dominica Vigesima Qvinta Post Trinitatis, Evangelivm Matthaei XXIII.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-35272**



DOMI. VIGE. QVARTA

ignorant Euangelium, sunt cause acerbissimi odij. Nam homo sapiens contendere debet, ut accendat studium bene operandi, & cultus Dei tueatur, & modestiam hominum, & tranquillitatem retineat. Hos fines debet sapiens gubernator summos ducere. Sed ita tamen, ut ueros cultus Dei intelligat & tueatur. Veri autem cultus non intelliguntur sine Euangelio, ideo impij gubernatores fascinati opinionibus Legis, & ignari Euangelij, aberrant, & inflammantur odio Euangelij, Id hoc loco per tibicines significatum est. Nos uero discamus discernere genera, Legem & Euangelium, & tribuamus suum cuique generi locum. Lex regat disciplinam, & seuerè regat. Sed simul sciamus alia iusticia opus esse, uidelicet, quam Euangelium proponit, de fiducia filij Dei. Vitemus etiam falsa iudicia hypocritarum, nec propter eorum odia, confessionem Euangelij abijciamus.

DOMINICA VIGESIMA  
QVINTA POST TRINI-  
TATIS, EVANGELIUM  
Matthæi XXIII.

Cum



**C**VM ergo uideritis abominatio-  
nem desolationis, quæ dicta est a  
Daniele Propheta, stantem in loco san-  
cto. qui legit, intelligat. Tunc qui in Iu-  
dæa sunt, fugiant ad montes, & qui in  
tecto, non descendant ut tollant ali-  
quid de domo sua, & qui in agro, non  
reuertantur, ut tollant uestes suas. Væ au-  
tem prægnantibus & lactentibus in il-  
lis diebus, Orate autem, ut non fiat fu-  
ga uestra hyeme, uel Sabbato. Erit e-  
nim tunc tribulatio magna, qualis non  
fuit ab initio mundi, usque modo, ne-  
que fiet. Et nisi breuiati fuissent dies il-  
li, non fieret salua ulla caro, sed prop-  
ter electos breuiabuntur dies illi.

Tunc si quis uobis dixerit: Ecce hic  
Christus, aut illic, nolite credere. Sur-  
gent enim Pseudochristi & Pseudo-  
prophetæ dabunt signa magna & pro-  
digia, ita ut in errorem inducantur, si  
fieri potest, etiam electi. Ecce prædixi  
uobis. Si ergo dixerint uobis: Ecce in  
deserto est, nolite exire. ecce in penetra-

p 5 libus



## DOMI. VIGE. QVINTA

libus, nolite credere. Sicut enim fulgur exit ab oriente, & paret usque ad occidentem, ita erit & aduentus filij hominis. Vbicunque autem fuerit corpus, illic congregabuntur aquilæ.

I. Prædictio de excidio Hierosolymæ, & quare tota illa politia funditus deleta sit.

II. Altera prædictio de temporibus ultimis mundi.

III. Quid uocet abominationem desolantem.

IIII. An Ecclesia possit errare, & ubi, & quid sit.

V. Consolatio & doctrina, quomodo in his periculis præmuniendi sint animi, cum Christus dicat, Non turbemini. Item, Orate, ne fiat fuga uestra &c.

## DE PRIMO LOCO.

**A**postoli arbitrabantur Christum alio quanto post occupaturum regnum Iudææ, & pulsos Romanis, & repurgato templo, dominaturum: Quare intuētes ædificiū gratulantur patriæ tantum ornamentū, in quo sperabant paulo post Christū ipsum fore pontificem, & se una regnuros esse remotis Epicureis Pontificibus



cibus, præsertim cum Haggæus clarè scripsisset in isto templo futuram maiorem gloriam, quàm in priore, quia ibi concionaturus esset Christus. Hag. 2. Veniet desideratus cunctis gentibus, & implebit templum gloria, & in isto loco dabo pacem. Has promissiones etiam Apostoli transferebāt ad externam dominationem & pacem, & somniabant quandam auream ætatem,

Has dulcissimas ineptias Christus tristissima prædictione refutat. Imo, inquit, scitote iam instare horribile excidium huius urbis, templi, politiæ, regni. Hæc oīa breui funditus interitura sunt. Hic discamus usitatas ærumnas Ecclesiæ. cum expectas tranquillitatem, præsidia, gloriam in mundo, non respondent euentus, sed uult Deus Ecclesiam subiectam esse cruci, & fide expectare conseruationem, sicut nunc optamus principum præsidia, & speramus principes habituros pacem, futuros concordēs, denique cogitamus dulce ocium, ut Apostoli cogitabant, et quo suauiores spes nobis fingimus, eo quotidie oriuntur seuiiores tempestates & motus. Quare ad ferendas has ærumnas parati simus, & discamus quomodo animi sint præmuniendi, & confirmandi.

Scd



## DOMI. VIGE. QVINTA

Sed quare deleri oportuit po-  
litiam Mosaicam?

Tres sunt causæ.

*Prima.* Quia Deus uoluit extare evidens ex-  
emplum iræ suæ aduersus omnes, qui Christum  
contumelia afficiunt. Scilicet puniuit suum populum  
natum ex Abraham & cæteris patribus, quos  
maximè dilexit. Ergo non parcat Turcis, Epicu-  
raeis, & quibuscunq; contumeliosis aduersus  
Christum, etiamsi differuntur poenæ. Sed dilatio  
testimoniū est secuturi iudicij post hanc uitam.

*Secunda causa.* Prædictiones Micheæ, Hage-  
gei & Danielis, testantur oportuisse Christum  
uenire stante politia Mosaica. Imo & hoc ipso  
secundo templo stante. Hæc deleta sunt, & iac-  
cent iam diutius, quam steterunt. Ergo necesse  
est apparuisse iam Messiam. Hoc argumentum  
& ad confirmandos nos ipsos plurimū prodest,  
& manifestè refutat & conuincit Iudæos.

*Tertia causa.* Deus uoluit ostendere cultus  
leuiticos non esse iusticiam Euangelij. Porro si  
hodie staret politia Iudaica, et recepisset Messi-  
am, tamen uellet habere prærogatiuam propter  
ceremonias suas. Ergo, ut ostenderet Deus illas



res non esse iusticiam, sed in Euangelio afferri  
 aternam iusticiam, uoluit leuiticos cultus penitus  
 deleri. Hæ cause omnes dignissimæ sunt accu=  
 rata consideratione.

## DE SECVNDO.

**P**ostquam excidiũ Hierosolymæ prædixit,  
 addit prædictionem de sequenti ætate, ac  
 præcipuè de ultima senectæ mundi, quia  
 hæc erit similis senectæ populi Iudaici. Prædicat  
 autem maximas calamitates, corporales et eccle=  
 siasticas, bella, famem, mutationes regnorum,  
 dissidia, dogmatum confusiones, εἰδωλομανίας  
 in Ecclesia.

**CVR** autem hæc prædicuntur?

Ad confirmandos pios, ne cum uident tantas  
 omnium rerum confusiones, existiment nihil esse  
 ueram Ecclesiam, & inutilem esse inuocatiõem.  
 Nam cum mundi confusionem, uitia, & ruinas  
 spectamus, mens concutitur talibus dubitationi=  
 bus. Præmonet igitur Christus suos, ne deficiãt,  
 ne existiment propterea deseri ab eo hunc cœ=  
 tum, qui adhuc retinet Euangelium. Hunc con=  
 firmat, & testatur semper mansuram esse Eccle=  
 siam. Ac prodest sibi quemque inculcare senten=  
 tias simi=



## DOMINI. VIGE. QVINTA

tias similes; ut, Ero uobiscum usque ad consummationem seculi. Et Esa. 59 dicitur, Veniet ex Sion redemptor, & his, qui redeunt ab iniquitate in Iacob, hoc fœdus meum cum eis. Spiritus meus, qui est in te, & uerba mea, quæ posui in ore tuo, non recedent de ore tuo, & de ore seminis tui, deinceps & in sempiternum. Vbi autem mansura sit Ecclesia, simul indicat, cum nominat uerbum, Spiritus, qui in te est, & uerbum in ore tuo. Ibi est Ecclesia, ubi sonat Euangelium, sicut Christus inquit: Si manseritis in me, & uerba mea manserint in uobis, petetis, & fiet uobis. Item: Oues meæ uocē meam audiunt.

Hac confirmatione tunc maxime opus est, cum dicitur, Ecce hic est Christus, ecce illic. Et remouendæ sunt imaginationes, quæ alligant Ecclesiam ad pontificum & regum dominationem. Nam Ecclesia ad Euangelium alligata est, & in Euangelio gestari eam, tanquam fœtum in aluo, cogitemus, nec gestari eam in imperijs externis, aut dominatione episcoporum existimemus. Est enim cœtus dissimilis alijs politijs. Magna autem consolatio est, quod testatur Christus mansuram esse Ecclesiam, quidquid sit futurum de regnis mundi, sicut manebat Ecclesia tempore



tempore Apostolorum, etiamsi, reges & principes patronos, non habebat. Interim tamen Deus aliqua hospitia exulanti Ecclesie curauit.

DE TERTIO.

**V**isitata phrasis est Ebraeis, idola uocare abominationes. Et recitat Christus locum ex Daniele, ut afferat testimoniū suae praedictioni de excidio Hierosolymorum, quasi dicat: Multū uos uestra opinio fallit, si arbitramini me & uos in hoc templo regnatos esse. An non meministis Danielem, qui praedicat excidium? & addit signum, scilicet, fore, ut stet in loco sancto, id est, in templo idolum, denunciāns perpetuam uastitatem, id cum uidebitis, fugite, significat enim excidium. Quod autem erat in hoc idolum? Etsi oēs cultus hostium Christi sunt idola tamen hic de re insigni loquitur, qua uult commonefieri Apostoles de excidio. Fuit ergo praecipuum idolum manifestae blasphemiae aduersus Christum, Deinde accesserunt & statuae, ut uexilla Tiberij, statua Caligulae, qui se mandarāt adorari, & multae caedes in templo factae, quibus tunc assidue prophānabatur templum. Hæc inquit, cum fient, scitote instare finem.

Vt autem



## DOMI. VIGESI. QUINTA

Vt autem tunc in templo Iudaico fuit idollū,  
Ita prædicitur futurum, ut post Apostolos ultima  
mundo tempore in Ecclesijs colatur idolum.  
Quod est illud? Non potest hæc res sine ingenti  
dolore cogitari. Deleuit Ecclesias Mahometus,  
& proposuit colendum idolum, uidelicet mani-  
festas blasphemias aduersus Christum. Hæ sunt  
præcipuus neruus regni ipsius, et cultus. Imo, hu-  
ius ipsius articuli professione, iudicant se esse po-  
pulum Dei, quòd negant filium Dei, quòd negat  
redemptorem, quòd abolent Euangelium, Prop-  
ter hoc opus prædicant se diligi a Deo, & orna-  
ri uictorijs & imperijs. Sed pij sciant, hoc ip-  
sum opus Mahometicæ sectæ præcipue damnatū  
esse uoce Dei, Sicut clarè inquit Daniel de Ma-  
hometo alibi: Dicit blasphemias contra Domi-  
num. Sed non de solo Mahometo hîc dicitur.  
Ait enim: Stabit in loco sancto, id est, in coetu, in  
quo adhuc manet nomen Christi & Ecclesiæ, &  
in quo sunt aliqui rectè inuocantes Deū. Ibi quo-  
que erunt idola uastantia uerum cultum. Dixi  
autem cultus omnes sine agnitione Christi idola-  
triam esse, quare hi, qui non norunt doctrinam  
Euangelij, de fide in Christum, et de inuocatione  
in hac fide facienda, omnes sunt ignari ueri cul-  
tus, &



POST TRINITATIS. 130

tus, & qui ueram doctrinam persequuntur, sunt idolatrae. Sed semper homines omisso Euangelio sibi noua & manifesta idola excogitant, ergo accedunt etiam externa idola, ut statuæ, ad quas concurritur. Ipsa inuocatio mortuorum. Prophanatio cœnæ Domini, in qua fit falsa oblatio, & falsa adoratio, Item fiducia humanarum traditionum, ut monachatus. Hæc quatuor nihil differunt ab ethnicis idolatrijs, nec ulla humana uox dicere potest, quàm tetra sint hæc idola, & quantam iram Dei prouocent, Sed poenæ utcunq; significant. Nequaquam essent tanti successus Turcorum, nisi magna esset idolomania Ecclesiæ. Et quia hæc non satis dici possunt, uero timore Dei cogitemus apud nos uocem Spiritus sancti, Fugite idolatriam, & discamus ueros cultus, & fugiamus defensionem idolorum ne cum impijs pereamus.

DE QVARTO.

An Ecclesia possit errare.

**P**ropriè ad tempora post Apostolos pertinet descriptio, quæ hic additur, Dicent uobis, Ecce hic est Christus, ecce illic est, id est, magna erunt dissidia dogmatum, Ecclesia lacerabitur, &

q

tur, &



## DOMI. VIGE. QVINTA

bitur, & quælibet pars gloriabitur se habere Christum. Quid tali tempore faciendum erit? quis poterit iudicare, quæ pars sit populus Dei? nam errare aliquas partes necesse est. Hic mundus sequitur politicum argumentum, Vt, ibi iudicamus esse rempub. ubi sunt principes & magistratus ordinarij, cæteros iudicamus esse seditiones. Ita cum sunt dissidia Ecclesiæ, accurrunt plurimi ad hos, qui titulum habent ordinariæ potestatis, & his attribuunt prærogatiuam, quod non possint errare, qui dicunt Ecclesiæ factam esse promissionem. Ecclesia autem non est truncatum corpus, sine capite, sine ministerio. Ergo hæc capita non errant. Hæc ratio plausibilis est, & plurimos in toto orbe ita tenet fascinos, ut cõtra dici non sinant. Sed nos sciamus Ecclesiam dissimilem esse cæteris politijs, nec tamen loquendum est de inuisibili Ecclesia. Deus ideo condidit genus humanum, ideo redemit, ut ipse inuocetur & celebretur, & Christus innotescat, necesse est igitur conspici Ecclesiam, necesse est confessionem & inuocationem notam fieri.

Quanquam autem Ecclesia est uisibilis cœtus, tamen dispersa est, nec est politia similis regno, alligata loco, successioni & certis legibus  
humanis



humanis. Sed alligata est pura doctrinae Evangelij. Hæc consociat Ecclesiam ubicunque est, iuxta illud: Oves meæ uocem meam audiunt. Sopho. 3. Reliqui mihi populū pauperē, & egenum, et sperabunt in nomine Domini. Talis semper est aliqua uera Ecclesia, ut sub Achab, Eliæ tempore, erant Elias, Eliseus, & alij multi, sicut dicit textus, Reliqui mihi septem milia &c. Sic sub Hanna & Caipha erant Simon, Zacharias, Elisabeth, Maria, Ioseph, & alij multi, etiamsi reges & pontifices erant palam idolatræ & Epicuræi.

Est autem ille cœtus uera Ecclesia Dei, qui amplectitur uerbum Dei per Prophetas, Christum & Apostolos traditum, & non defendit pertinaciter idola, & errores pugnantés cum uerbo Dei. Suntq; in hoc cœtu partim renati, uero timore Dei, & uera fide Deum inuocantes, partim mali & sine timore Dei, sed tamen in professione doctrinae consentientes, qui si admittant publica delicta, cijciendi sunt, & puniendi. Hic cœtus de cultu Dei consulit, & sequitur purum Euangelium, non opiniones traditas auctoritate humana. Sicut Simcon, Zacharias, Maria, sequebantur doctrinam Prophetarum, relictis

q. 2 delirijs



## DOMI. VIGE. QVINTA

*delirijs Saduceorum & Pharisaorum.*

De eo coetu amplectente purum Euangelium rectè dicitur, Ecclesiam non errare in articulis fidei, seu in necessarijs ad salutem. Sed interim fieri potest, ut ingens multitudo omnium ordinum, episcoporum, sacerdotum, monachorum, regum, principum & populi, sit contaminata idolis, & multis erroribus perniciosis, qui pugnant cum articulis fidei, sicut Pharisei & Saducei defendebant errores pugnantes cum articulis fidei, quia hæc multitudo errans anteponebat Euangelio opiniones traditas humana autoritate, & quia potentia & numero antecellit, pertinaciter defendit errores.

Sciamus autem nos à Christo propter gravissimam causam præmonitos esse, ne errores approbemus, Et severe mandatum est, Fugite idolariam. Cum igitur disputamus, an Ecclesia possit errare, primum quæramus, ubi & quæ sit Ecclesia, nec alligemus eam ad imperia, multitudinem, episcopos. Fieri enim potest, ut plurimi eorum non sint membra Ecclesiæ, sicut nunc magna pars eorum palam est Epicuræa, nec curat, quid in alterutram partem doceatur, tantum in hoc sunt intenti, ne quid mutetur, ne labefiat  
eorum



## POST TRINITATIS. 132

eorum potentia. Sed quæramus Ecclesiam ibi, ubi cunq; sonat pura uox Euangelij. Porro & in hoc cœtu pio et amplectēte Euāgeliū, tamē aliās plus, aliās minus est lucis, & aliquid contagij manet, ut multi discipuli Apostolorum imaginabantur ceremonias Mosaicarum retinendas esse. Et Paulus inquit hunc cœtum partim aurum, partim stipulas supra fundamentum exstruere. Sed tamen fundamentum retinet articulos fidei de Christo, & uerā inuocationē. & nō defendit errores pertinaciter, sed audit Euangelium, cupit doceri, et proficit. Hæc admonitio de Ecclesia utilis est, et hortetur nos, ut iudicio et uolūtate coniungamus nos cū uera ecclesia, et cū ea Deū rectē inuocemus, & retineamus Euangelij puritatē, ne anteferamus opiniones humana autoritate cōfictas, sed meminerimus illud: Lucerna pedibus meis uerbum tuum.

## DE QVINTO.

**C**onsolatio & doctrina traditur, quomodo præmuniendi sint animi in his periculis. Consolationes hæc quatuor sunt præcipuæ.

**L** Quòd sit mansura Ecclesia uera, etiam in hoc mundo, ante resurrectionem mortuorum,

¶ 3

iuxta



## DOMI. VIGE. QVINTA

iuxta illud Isaie 59. Spiritus meus, qui est in te, & uerba mea, quæ sunt in ore tuo, non recedent ab ore tuo, nec ab ore seminis tui &c.

II. Quod ubicunque erūt amplectentes purum Euangeliū, hi sunt mēbra Ecclesiæ, iuxta illud, Si māsēritis in me, & uerba mea māsērint in uobis, quidquid uolueritis petite, & fiet uobis.

III. Quod in his periculis filius Dei aderit pro pugnator, sicut Daniel inquit, stat Michael dux pro populo Dei.

III. Quod Christus rursus se ostensurus sit mundo, & glorificaturus Ecclesiam, ac impios abiecturus in æternos cruciatus. Ideo hīc dicitur, Sic erit aduentus filij hominis. Nec diu duraturum esse hunc mundum post Apostolos, ipsi testati sunt, cum uocant nouissimam horam. Et notum est dictum Eliæ, Sex milia mundus, & postea erit destructio, Duo milia inane, Duo milia Lex. Duo milia Messias, & si quid deerit, deerit propter peccata nostra.

Doctrina uero est, quod monet ut Euangeliū retineamus, nec assentiamur impostoribus. Item, iubet precari, ac significat Deū calamitates mitigaturū esse precātibus. Orate ut possitis euadere ex futuris malis, & stare corā filio hominis.



A

in te,  
cedent

orum  
lud, si  
uobis,

t pro  
el dux

t mun  
abie,

r, Sic

urum

estati

otum

erit

Duo

pter

geliū

tem,

miti

dere



